6

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

Auctore Georgio Henrico Hicks.

VARII sunt morbi quibus genus humanum est obnoxium. De his fere omnibus diversis temporibus auctores seorsim tractaverunt; et plurimi eorum opinati sunt, et hominibus suadere voluerunt, istum de quo ipsi scripserunt fuisse prae omnibus aliis consideratione dignum.

Huic opinioni quamvis necessario falsae non defuerunt commoda; scientia ipsa medicinae huic forsan amplitudinem quam nunc assecuta est praecipue debet; quoniam singuli medici rebus singulis animos adhibentes, has summa

diligentia investigarunt, et ad aliorum inquisitionem protulerunt; omnibusque partibus seperatim consideratis, tota demum scientia aliquid saltem formae et roboris acquisivit.

Nec adeo falsa et risu digna est haec opinio ut primo aspectu appareat; aliis atque aliis enimvero temporibus et regionibus morbi naturâ omnino diversi medicorum attentionem praecipue sibi vindicaverunt: exempli gratia, postquam inter hanc Britanniae Insulam atque Indias Occidentales necnon Orientales majus intercesserat commercium, natura, causae et curatio affectionum Hepatis majoris medicis nostratibus momenti fiebant.

Hunc morbum (Dyspepsiam) non quidem ante omnes, tamen inter primos consideratione mereri judico; homines enim si ut hanc effugiant vitas degerent, aliis quoque morbis natura gravioribus simul carerent; quales sunt isti fere omnes qui ex habitu plethorico pendent. Quinetiam attentionem vindicat ob curationem difficilem, necnon ob latius quod nunc quam olim inter homines

imperium habet. Causa difficilis curationis in suo loco reddetur; liceat autem hic pauca dicere de dominatione aucta et crescente quâ hunc morbum potiri opinor. Omnes plerumque morbi diversis vivendi modis, aetatibus, temperamentis, regionibusque adnectuntur. Quod ad dyspepsiam autem aliter se res habet; his enim temporibus studiosos aeque ac perditos et intemperatos, ignaviae indulgentes pariter ac artifices laboriosos, invadit. Olim (forsan) haud secus ac nunc afficiebantur qui contra naturae leges vixerunt; quod ad eos autem qui vita studiosa vel laboriosa usi fuerunt longe aliter fuit. Studiosi inter antiquos non (ut nunc fit) dum mentes excolebant, corpora ignaviae tradiderunt. Nec plebes tum fuerunt variis causis excitantibus quae nunc existunt expositi: arma et aratrum vicissim robora exercebant; varia opificia insalubria quae nunc tot millia generis humani, utriusque sexus, omnisque aetatis intra parietes arctos et in aëre impuro per totos annos includunt, tunc fuerunt parum usurpata, multa penitus ignota:

armis sepositis non grex populi solus agriculturam colebant; duces ipsi, hostibus patriæ victis, contenti fuerunt jugo boves jungere et telluri infindere sulcos.

Inter talia versati non mirum erit si hunc morbum vitaverint; nunc enim raro si unquam exemplum inveniendum est rustici vel militis gregarii hoc morbo laborantis.

Definitio Doctoris Cullen est quae sequitur.

"Anorexia, Nausea, Vomitus, Inflatio, Ruc-
" tus, Ruminatio, Cardialgia, Gastrodynia;
" pauciora saltem vel plura horum simul con-
" currentia, plerumque cum alvo adstricta, et
" sine alio vel ventriculi ipsius vel aliarum
" partium morbo."

De hac definitione observari liceat Doctorem Cullen sub nomine dyspepsiae multos distinctos aliorum auctorum morbos comprehendisse: et accuratissime fecit; quamvis enim varia symptomata saepe separatim occurrunt, eidem tamen causarum generi semper sunt attribuenda, et inter se in omni varietate conjunguntur.

HISTORIA MORBI.

Symptomatibus numerosis dyspepsiam designantibus in definitione prius recensitis, Doctor Cullen addit pauciora vel plura horum morbum constituere. Ut in hac symptomatum conjunctione omnis, quae accidere potest, varietas in aegris diversis occurrit, manifestum est generalem morbi historiam, majori etiam casuum numero responsuram, dari non posse. Nonnullis qui hoc morbo plectuntur (et forsan quod est in iis morbi symptoma gravissimum) appetitus omnino deficit; aliis appetitus parriter ac in sanitate pollet; aliquando etiam praeter naturam valet, et aeger quae non ejus statui conveniunt ista praecipue cupit.

Quibusdam nausea fere perpetua est, quibusdam edendo amovetur; alii autem ventriculo inani nil molestiae sentiunt; sed quam primum cibum devoraverint (quod saepe fa-

ciunt appetitu bono et pari palati gratificatione qua sani) gravitatis sensum et dolorem in stomacho percipiunt, non in melius usque ad ingestorum regurgitationem evasuri; et haec plerumque sua sponte occurit, eructationibus violentis aliquando praegressis.

Plurimis autem casibus malum non tam violenter ingravescit. Cibus diutius quam in sanitate ventriculo retentus, vel non ut decet a succo gastrico confectus, fermentationis diversa secundum morae in ventriculo diuturnitatem stadia subit; hinc producitur ab aëre extricato distensionis sensus; tum subsequuntur eructationes primo aëris; dein liquoris nunc ingestorum saporem habentis, nunc dulcis, nunc autem adeo acidi ut dentes instar acidi sulphurici diluti asperet, aliquando ad putredinem vergentis ovorum putridorum vel hydrogenis sulphurati saporem palato imprimentis. Fluidum eructatum saporem aliquando amarum habet, qui derivatur ex felle in stomachum actione duodeni ob consensum ejus cum ventriculo inversâ sursum pulso.

Quidam aegri fluidum oleosum ejiciunt; et alii frustra victus semiconcocti eructationibus in os regurgitant, quae bovem instar ruminant: factum foedum, sed maxima ex parte, si non penitus, morbi effectui tribuendum. Cardialgia in gradibus variis, ex eo qui vix sentitur ad eum qui convulsiones producit, quosdam dyspepsiâ laborantes obsidet; si hoc symptoma eructationes comitentur hae semper acidae sunt, et hinc verisimile fit acidum in stomacho contra parietes cardiae motu ventriculi inverso projectum cardialgiam secundum acidi intensionem, vel quantitatem, aut motus inversi gradum severam producere.

Dolor ventriculi seu gastrodynia in quibusdam diversa hujus morbi symptomata supra recensita comitatur; in nonnullis summa pars morbi.

Status alvi adstrictus plerumque a morbo inducitur et vicissim hunc auget, a consensu mirabili qui stomachum inter et intestina intercedit. Hujusmodi consensus quoque inter ventriculum et caput existit; inde cephalalgia,

vertigo, semivisio, muscae volitantes et aliae visus depravationes aliquando morbi inferunt se socios; necnon palpitatio cordis et dyspnoea, quae nunc a simili inter ventriculum et cor pulmonesque consensu, nunc ab actione horum ob illius distentionem impeditâ originem ducunt.

Pulsus status in nonnullis parum mutatur, in aliis acceleratur, vel debilis aut intermittens fit; quod praecipue accidit palpitatio ubi morbum comitatur. Qui male concoquunt aliquando marcescunt, non semper autem, multi enim aegri pingues evadunt, quo demonstratur nimis ab iis victus esse sumptum, quoniam multum licet non assimuletur satis superque a corpore nutrimenti receptum est. Vultus in hoc morbo nunc pallidus est et miserabilis visu, nunc floridus atque venustus. Somni vix unquam adeo ut in sanitate profundi sunt; si enim aegri tempus aequale dormient, somnia fere semper comitantur; et haec in iis qui in sanitate somniis penitus caruissent. Extremitatum frigus haud raro

adest; aliquando volarum calores volitantes. Dyspepsia in quibusdam omnino fugax est, in aliis per vitam longam durat; aliquando status animi parum afficitur, alias autem insignis depressio adest.

CAUSAE.

Hae sunt generum duorum, nempe quae in ventriculum ipsum directè agunt; et quae systema corporis universum, vel aliud quo consensum habet ventriculus organum afficientes, per hoc illum debilitant.

Sub primo genere enumerentur Narcotica omnia.

Spiritus Ardentes.—Hi, an sint in magnis quantitatibus simul sumpti, an diutius copia haud immoderata usurpentur, eosdem (quamvis celeritate variâ) effectus producent. Utroque modo primum stimulatur ventriculus, pari gradu postea debilis evasurus. In illo modo effectus et stimulantes et debilitantes

tempore quo adhibeatur stimulus majores et magis evidentes sunt; in hoc autem effectus quamvis non statim appareant vel mitiores sint, tamen majore plerumque constantia excitati, pede non minus certo ostia valetudinis pulsant.

Vinum.—Hujus quaedam genera ab alcohole quod continent nociva fiunt, quamvis non pari gradu quo alcohol cum aquâ commistum et ad potentiam aequalem reductum; alia genera cùm spiritu quem continent tum proclivitate ad acescendum nocent; hinc vina exotica minus insalubria sunt quam quae domi conficiuntur; et illorum alia prae aliis ob hanc considerationem sunt aestimanda.

Cerevisia ad dyspepsiam proclivibus nequaquam admonendaest; nam in eâ narcoticum et ascescens conjuncta sunt; nec est vinum pomorum minus evitandum.

Thaeae infusio in quantitate immoderatâ sumpta effectum debilitantem evidentem habet, praecipuae si nimis calida vel potens

hausta. Thaea viridis est omnium hujus herbae specierum perniciocissima; quamvis enim maxima moderatione, si constanter usurpata, haud paucis nocet. Infusum Caffaeae moderate sumptum potus fit salubris atque exhilarans, sed nimia quantitate eosdem quos Thaea effectus injuriosos creat. Ad alvi constipationem ejus usus proclivitatem gignit, cui sedulo occurrendum est. Post haec narcotica queis inter dietam multi quotidie utuntur et quae necessaria aestimant, considerare venimus materiam cujus usum luxuriae debemus, Nico tianam nempe, quae in variis modis (quorum nulli noxa carent) juvenibus, senibus atque aliquando vetulis usurpata est; hac enim re amabilior se probat sapientiorem sexum.

Fumi herbae ignitae per tubam hausti nonnihil in stomachum descendit, et quamvis effectus ejus parum evidentes sint in iis qui diu consuetudine usi fuerunt, tamen non esse inertem, sensus ebrietatis ab iis primo tubam expertis perceptus satis demonstrat.

Quidam herbam mandunt, et quamvis maximam succi partem expuant, aliquid tamen ejus sorbebitur, et eosdem quos fumus in stomachum effectus exerat. Nicotiana his modis adhibita, non solum effectibus quos in ventriculum habet, sed fluxum etiam salivae majorem quam poscit vel impune ferat natura, producendo nocet. Nec salivae sic praeter solitum secretae excreatio injuria caret, sic enim ventriculo debita hujus fluidi adeo ad concoctionem bonam necessarii quantitas non suppeditatur.

Alio admodum modo usurpatur nicotiana; et consuetudo nunc memoranda est omnium longe usitatissima, quamvis omnium certe (nil pejus dicere) maxime naturæ contraria, ea nempe herbam in pulverem subtilem tritam naribus hauriendi. Magna pars pulveris in stomachum transit, et illic aeque ac in aliis modis secundum quantitatem sumptam noxam efficit.

In praelectionibus suis casum narrat Gregory eruditissimus noster, ubi dyspepticus

post multum Tabacci pulverem vomitu ejectum morbo penitus carebat.

Quaedam quoque medicamenta nimia copia, nimis diu, vel inconsiderate adhibita eosdem effectus non raro producunt. Inter haec opium primum tenet locum. Quaecunque sit commoda (et insignia esse negari nequit) quae a Scientia Medicinae arcanis omnibus nudatâ derivantur, incommoda quoque, et ea nequaquam parvi momenti, ex eadem origine surgunt. Vulgus variorum medicamentorum effectuum notitiam adeptum, his sine prudentia saepe sequelis perniciocissimis utuntur. Doctor GREGORY in praelectionibus narrat Plebes circa Edinburgum habitantes vix unquam Opii Tincturâ in domibus carere, quam casibus levissimis fœminae ad maritos liberosque ministrant; et propter voluptatem quam præbet perniciosam, absque ulla necessitate, ipsae sumunt. Amara, quae ut remedia in hoc morbo praecipiuntur, diutius usurpata similem ventriculi debilitandi effectum habent. In amaris adhibendis, post aliquot tempus omitti,

et post intermissionem plus minus diuturnam eadem rursus usurpari debent.

Cibus nimia quantitate vel qualitate parum conveniente, vel nimis frequenter sumptus, et potus nimis callidus eidem causarum generi adjici potest; necnon vis externa stomachi regioni illata, et aqua frigida corpore calefacto hausta. Quantitas Cibi nimia in Ventriculum assumpta non probe a succo gastrico solvi potest; quam ob rem pylorus exitum negat; necnon Stomachi onere gravati fibrae musculosae debilitatae ad massam alimentariam in duodenum propellandam minus pollent, ideo in fermentationem decedit, pari fere ratione ac in vasis clausis calore aequali applicato extra corpus accidisset.

Nec minoris quam quantitas cibi qualitas momenti est: ex carne valde pingui, viscida, dura, salsa, ad putredinem vergente derivatus victus insaluberrimus est. Cibus prius devoratus quam ut decet dentibus comminuatur, minus facile succo gastrico conficitur, atque adeo ad morbum viam sternit.

Alimenta generum diversorum quae seperatim sumpta satis salubria sunt, cum simul multa ingeruntur, noxia fiunt. Ratio qua laedunt est multiplex. Homo vix unquam plus unius mensae sumere cupit quam quod aptum est, sed multis dapibus sibi invicem succedentibus appetitus (ob novos stimulos ventriculi fibris applicatos) semel iterumque renovatur, et sic cibi onus non facile concoquendum devoratur. Etiamsi quantitas non nimia fuerit (quod equidem vix accidere potest) varietate tantum sumpta, succus gastricus non in hanc massam confusam vim solventem satis validam ut probe concoquatur exercere potest. Succus enim gastricus naturam particularem a victu qui sumitur accipere videtur; sic animalia quae carne vescuntur vegetabilia assimilare non possunt, et contra, graminivora ad carnem digerendam non valent. Cum igitur victus varius sumptus sit, vis concoquendi quasi in dubio stat, et fermentatio incipit suas admovere vires.

Quod de hac re Vates cantat Venusinus adeo ad rem convenit, ut sperem ejus quamvis non medici verba, me sine ostentatione posse recitare.

Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene; nam variae res
Ut noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. At simil assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Hor. Satyr ii. lib. 2.

Quae sit illa esca prae omnibus cuivis facile sedens experientia optime docebit; nam ob idiosyncrasiam non explicabilem omne fere alimentum hominibus quod ad genus salubre singulis viris est incommodum, aliquando valde injuriosum. Quidam scriptores dietam flatulentam et farinaceam inter dyspepsiae causas enumerant. Ista quae flatum ferunt dyspepsiam promovere, manifestum est, quoniam ille est hujus symptoma; sed, si dietam farinaceam et flatulentam unam et eandem

esse intelligi velint, non omnino opinioni concedo: Aliis causis excitantibus, vitâ nempe sedentaria, affectibus animi deprimentibus, &c. agentibus, cibus fere omnigenus concoctionem imperfectam subeat et flatum aliaque dyspepsiae symptomata producat; si autem cum exercitatione idoneâ cibus in quantitate conveniente sumeretur, sanitas corporis alioquin secunda et mens hilaris essent, nil metuendum quin diaeta magna ex parte farinacea aeque ventriculo sederit ac illa ex carne praesertim comparata; quamvis non sit negandum vegetabilia ubi jam adest morbus carnibus ad fermentationem promptius inire; hoc tamen non causa morbi existit sed ab eo ortum habet. Pauperum Hibernicorum multi magnâ ex parte Battatis, Caledoniorum farinâ avenae vitam sustentant. Hi robore sanitateque potiuntur aeque ac nostrates qui majorem carnis quantitatem devorant.

Cibus in quantitate quidem parca nimis saepe sumptus ventriculum debilitat, quoniam ideo nunquam fit vacuus, nunquam toni-

cos inediae effectus experitur. Hos inediae effectus nemo negari potest; necesse enim est ut ab omnibus experti fuerint. Quis enim se post pastum quanquam moderatum tam ad exercitationes corporis vel ingenii aptum quam ante cibum (modo inedia non nimis continuata fuerit) invenit. Ex eadem causa, comesturis scilicet frequentibus, concoctio minus perfecta fit, cum ob ventriculum debilitatum, tum ob misturam ingestorum crudorum massa partim concoctâ, quoniam pylorus illis exitum negans hanc quoque (verisimile est) saepe ultra modum includit. Non quidem denegari potest Pylorum vim secernentem possidere, sed dubitarem an adeo exquisita sit ut effectus consuetudinis tam a naturâ alienae perniciosos omnino pellat.

In genere altero causarum comprehendantur sequentes: Frigus corpori calefacto admotum: Vita sedentaria: Potus meracioris diuturnus usus, quamvis in quantitatibus immoderatis haud simul sumeretur: Diaeta nimis parca; haec morbum licet aliquando producat, raro tamen eum intulit quoniam pau-

lulum victus, modo sit bonus, ad egestates naturae supplendas sufficiat: diaeta prava est frequentior causa. Venus immodica: Exercitatio ultra vires corporis adhibita: Constipatio pertinax; haec fere dyspepsiae symptoma est et consequentia, sed ab aliis causis oriens morbum producere potest, actione ventriculi, propter consensum quem cum intestinis habet, impedita.

Vita studiosa his praecipue rationibus morbum inducit; nempe sedentaria est, constipatione comitata, et plerumque studiosi parem, saepe majorem victus, quam qui exercitatione utuntur, quantitatem devorant. Diarrhoea et aliae evacuationes ultra modum continuatae, ob generalem quam inferunt debilitatem, dyspepsiam producere possint. Ob arctissimum inter mentem corpusque nexum affectiones animi contristantes pariter ac totum corpus, ventriculum afficiunt; aliquando autem ventriculus praecipue laborat.

DIAGNOSIS.

Symptomata animi depressi saepe dyspepsiam comitantur. Hypocondriasis contra symptomatibus dyspepticis stipatur: affectio autem animi quae in hoc morbi maxima pars est, in illa affectus solum censeatur.

Dyspepsia Juvenibus omnium temperamentorum sed praecipue sanguinei incumbit, saepe annis provectioribus decessura: Hypocondriasis saepissime homines qui jam meridiem vitae attigerint, semper quibus temperamentum melancholicum est invàdit. In hoc morbo animi affectio firmius quam in dyspepsia stabilitur; neque hortatu hilari, nec seria ratiocinatione aegris persuadeatur timores quos gignet esse inanes; saepe manet omnibus symptomatibus dyspepticis abeuntibus: dejectio animi omnimoda autem a dyspepsia orta cum valetudine adversâ simul evanescit. In dyspepsia non semper adest, Hypocondriasi nunquam deest, in hac quoque ad melancholiam

saepe vergit, in ipsam aliquando desinit. Dyspepticus tristitia afficitur, nescit quare; hypocondriaci autem maerorem timor et anxietas propter sanitatem ipsius insignes, medicamentorum cupiditas, et medicorum ob naturam morbi ferme insanabilem diffidentia, plerumque comitantur.

PROGNOSIS.

Haec, ubi in omnibus rebus aeger medici praeceptis paret, plerumque bona est; cum autem ad medici directiones diaetam subjicere nolit, medicamentis solis curationem fieri expectans, prognosis quam pessima est, curatio vix ac ne vix quidam efficienda. Diaeta conveniente sumptâ, exercitatione idonea usurpata, et caeteris secundum medici praescriptionem probe actis, etsi curatio fere certa est, prognosin admodum cautam tradere oportet, et aeger moneri debet longam solùm recte vivendi perseverantiam eum a morbo penitus esse liberaturam.

CURATIO.

Ex rebus inter causas enumerandas supra dictis manifestum est curationis primum esse, et prae aliis omnibus necessarium gradum, has causas praesentes amovere, et postea sedulo evitare. Sine hoc fundamento, rationis medendi (cujusmodi sit) effectus fugaces erunt; hoc autem praeposito remedia symptomatibus accommodata prudenter adhibita nunquam fere non fructum optatum referent.

Maxima temperantia (quae multa complectitur) est utenda; et hinc oritur difficultas nonnunquam insuperabilis curandi. Quamdiu enim valetudo generalis secunda adsit, et appetitus bonus, perdifficile saepe est aegris suadere ut desideria fraenent, luxuriam vitent, moderatione utantur; nam multi existimunt medicamina existere, singula singulis symptomatibus aptata, et medicum propria illorum commisturâ posse haec omnia amovere.

Talium aliquando certe curatio imperfecta, ratione vivendi non mutata, efficitur; sed morbus semper revertitur, aucta plerumque vehementia. Vita sedentaria est deserenda; si autem hoc fieri non possit, talis vitae effectibus est quam maxime occurrendum. Vitâ studiosâ utentes et artifices nonnulli (ut pictores) tum ob posituram sedendi diutius continuatam, cum ob exercitationis privationem, hunc morbum experiuntur; quapropter si studiosi et artifices, quorum permittent labores, positura erecta amplius uterentur, effectus minus perniciosos perciperent, etiamsi non augeretur exercitatio. Clarus Reynoldus Pictorum Brittannicorum Princeps semper stans artem exequebatur, et quamvis adeo assidue, ut nemo magis, eam coleret, ad senectutem bonam fere absque morbo vitam degebat. Studiosus tempus corpore exercendo consumptum amissum aestimat, et quamdiu sinit morbus, sine intermissione disciplinas persequitur. Nec hoc prodesse potest; mens corpusque enim se invicem afficiunt, nec in pejora hoc ruere po-

test sine illa simul injuria affecta. Nemo mortalium mentem adeo validam possidet ut studia per diem totum continuata in memoria teneat; magnam partem oblivioni tradi necesse est, et ideo multum temporis labori impertitur inani, cujus si portio exigua inter ambulandum vel equitandum quotidie tereretur, corpus sanum servaretur et mens simul ad studia melius valeret. Laboriosam qui agunt vitam, non hoc morbo ut multis aliis ab opere cessare coguntur, et sic ob causas adhuc agentes sanatio minus facile efficitur; his igitur suadendum est labores pro salubrioribus mutare.

Indicatio secunda est symptomata urgentia amovere vel leviora reddere.

Nausea (a ventriculo gravato) emetico sublevanda est; sed non decet vomitoria nimis saepe adhibere, scilicet quae ventriculi actionem debilitare conducant; post emeticum semel exhibitum melius esset, ventriculo cruditatibus iterum onerato, contenta ejus purgantibus medicamentis deorsum expellere.

Vomitus (plerumque ex eadem causa pendens) potius quam supprimi, aqua callida, vel infuso florum Anthemidis nobilis copiose hausto promoveri debet.

Post vomitum, an sponte orientem, an arte inductum, catharticum adhiberi liceat cum opiato conjunctum, quod simul quid crudi adhuc in ventriculo remorans evacuet, et stomachi actionem abnormem compescat.

Inflationi carminativorum usu occurrendum est. Aciditatem alkalinis et absorbentibus corrigere opportet: hoc propositum implere carbonas magnesiae est remedium commodissimum; acidum in ventriculo ad statum neutralem reducit; acidum carbonicum evolvit, quod stomacho saluberrimum est, et cum acido conjungens salem medium vim catharticum possidentem format, qui alvum laxans adeo e corpore transit. Ubi alvus jam nimis laxata sit, carbonas calcis est anteponendus, scilicet qui pari gradu acidum mite reddit et simul effectum astringentem habet. Ubi demum alvi status sit qualis desiderandus est, carbonas

sodae, nec alvum laxare nec astringere pronus, potius detur.

Cardialgia levetur absorbentibus et alkalinis, vel potu ex fluido mucilaginoso; vel etiam aquâ sincera libere sumpta.

Gastrodynia opiatis et antispasmodicis sublevanda est.

Tertia Indicatio est stomachi tonum redintegrari. Hoc fieri potest praecipue eâdem vivendi ratione prudente quae dum morbus instaret usurpari monebatur. Cum hâc quaedam medicamenta tonica adhibere liceat, amara nempe, praesertim Cinchonam; et preparationes ferri. Amara ut antea observabatur diutius sine intermissione usurpari non debent. Balneum frigidum inter caetera cum fructu insigni plurimis casibus adhiberi potest.

FINIS.